This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER
HN CBKS M

Digitized by Google

Aus 80205.1.5

*

Harvard College Library

THE GIFT OF

HENRY STEPHENS, 3d

(Class of 1905)

OF ZALAEGERSZEG, HUNGARY

Digitized by Google

This belongs to Fejér, Codex Prodromus

Digitized by Google

Digitized by Google

DECRETVM ORIGINALE

ANDREAE SECVNDI

QVO

REGNVM HVNGARIAE

CONSTITVIT

ANNO 1222.

Hungary — Laws, statutes, etc. 1205-1236 (Andrew II)

DETEXIT, AC ILLVSTRAVIT

GEORGIVS FEJÉR

BIBLIOTHECARIVS REGIVS.

BVDAE

TYPIS TYPOGR. REGIAE VNIVERSITATIS VNGARICAE

1829.

Digitized by Google

* Auc 80205.1.5

H: Stephens

„Sancta institiae penetralia, in quibus semper, aequi ac probi facti respectus religiosa cum obseruatione versatur; et vbi studium verecundiae est; et cupiditas rationi cedit; nihilque vtile, quod parum honestum videri possit, ducitur. Eius autem praecipuum et certissimum inter omnes gentes nostra ciuitas exemplum est.“

V. Maximi Memorabilium L. VI. c. 5.

Digitized by Google

I. Gentiles nostri, lingua sua *Magyari*, quiqui multitudine populorum arctati, auitas inter Volgam et Vral fluuios, *) in Asia, sedes linquendi, amplioresque armorum virtute aquirendi consilium ceperunt; illud haud temere, non sine Duce, non absque pactis duxerunt exequendum. Ipsos recti ordinis, iuriumque suorum gratia in certas iurasse socialis vitae conditiones vetustissimus noster Historicus, Anonymus Belae Regis Notarius, **) de Gestis Hungarorum, fidem facit; „Tunc VII. principales personae Almo, tanquam genere clariori, belloque potentiori pari voluntate sic dixerunt: Ex hodierna die te nobis ducem, ac praeceptorem eligimus; et quo fortuna tua te duxerit, illuc te sequemur. — Primus status iuramenti sic fuit: Vt quamdiu vita duraret, tam ipsis, quam etiam posteris suis ducem haberent de progenie Almi Ducis. Secundus status iuramenti sic fuit: Vt, quidquid boni per labores ipsorum aquirere possent, nemo eorum expers fieret. Tertius status iuramenti sic fuit: Vt isti principales personae, qui sua libera voluntate Almum sibi Dominum elegerant, quod ipsi, et filii eorum, nunquam a consilio Ducis et honore regni omnino priuarentur. Quartus status iuramenti sic fuit: Vt, si quis de posteris eorum infidelis fieret contra personam ducalem, et discordiam faceret inter Ducem et cognatos suos, sanguis nocentis funderetur, sicut sanguis eorum fuit fusus in iuramento, quod fecerunt Almo Duci. Quintus status iuramenti sic fuit: Vt, si quis de posteris Almi, et aliarum personarum principalium iuramenti statuta ipsorum infrin-

Digitized by Google

gere voluerit, anathemati subiaceat in perpetuum.“ Cap. V. — VI.

---

*) Quanam e regione sint egressi cum multitudine magna populorum, non numeratis foederatis, credendum potius Vetustis, qui relictas ipsorum sedes lustrarunt, testibus, quam aliis, qui e traditione duntaxat perceperunt. Lustrarunt autem illam Frater Iulianus, Hungarus, ex Ordine Praedicatorum Anno 1236; Ioannes de Plano Carpino, ac Frater Ascellinus, socius eius ab Innocentio IV. PP. ad Imperantem Tartarorum ablegati A. 1246. Wilhelmus Rubruquis, ex ordine Capucinorum, a Ludouico Galliae rege missus. A. 1252. Confecti itineris sui descriptiones typis mandatas tenemus; omnes, vna voce, disserte, Primores nostros ex oris Volgae et Vral fluuiis interiectis, emigrasse testantur. Primus quidem ait: Inuenisse se aborigines nostros iuxta *fluuium magnum Ethil.* (Volgam) Qui eo viso, et, quod esset Hungarus, intellecto, in aduentu ipsius non modicum sunt gauisi. — Diligentissime audiebant, quia omnino habebant Vngaricum idioma, et intelligebant eum et ipse eos. — Sciunt etiam per reuelationes antiquorum, quod isti Vngari ab eis descenderant; sed ubi essent ignorabant. Gens Tartarorum vicina est eis etc. Excerptam e Bibliotheca Vaticana, vbi nro 965. reperitur, inseruit primus suis de initiis ac maioribus Hungarorum commentariis Inno. Desericius Budae Tom. I. p. Trium posteriorum descriptiones collectioni suae, idiomate latino, intulit Hakluyt: Collection of the Early, Woyages, Trauels, and discouuieries Vol. I. London. A. 1809. Tomo I. — Ioannes de Plano Carpino ait: „Vltra terram Morduanorum est terra Bilerorum, id est Bulgaria magna; ad aquilonem adhuc Bascart, *Hungaria magna* P. 24 — 42. Fr. Ascellinus itineris ipsius socius, inquit:

Digitized by Google

„Comania ab aquilone immediate post Russiam habet Morduynos, Bileros, id est magnam Bulgariam, et Bastarcos; idest „*magnam Hungariam*" p. 51 — 9. Fr. Wilh. Rubruquis refert: „Postquam iuimus duodecim diebus ab Etilia (Wolga) inuenimus magnum flumen, quod vocant Iagag (Iaik, Vral) et venit ab aquilone de terra Pascatir, descendens in mare Hircanum (Caspium) Idioma Pascatir et *Hungarorum* idem est; et contiguatur maiori Bulgariae ab Occidente. — *De illa regione Pascatir exierunt* Hunni, qui postea dicti sunt *Hungari*. Fratres Praedicatores inerunt illuc ante aduentum Tartarorum" p. 80 — 101. Cui conforme est testimonium Constantini Porphirogeniti Imp. de adm. Imperii Cap. XXXVII. (scripsit an. 959) „Sciendum est: Pacsinacinacitas a principio ad Atel (Etel, Wolga) et Geech (Iaich, Vral) flumina habitasse; iisque conterminos fuisse popullos illos, qui *Mazari*, atque Vzi cognominantur." Prius, quam Arabes in Persiam et Georgiam irrupissent, fauces obsederunt Caucasias; omnes Scriptores, qui has eis tribuunt sedes, temporum meminerunt anteriorum, vel certe de Hunnis, a nostratibus tribu distinctis, loquuntur. Earum in hodiernum accolae, qui cognatione gloriantur Magyarica, illorum sunt reliquiae, qui sedes non mutarunt, vel illorum, qui ab occidentem versus progressis diuisi, ad Orientem, partem Persidis incoluerunt; de quibusue idem Constantinus testatum reliquit: „Ad Turcas vero Orientem versus in Persidis partibus habitantes — negociatores suos mittunt etiamnum ii, qui occidentem incolunt praedicti Turcae (Magyari) inuisuntque illos, et responsa saepe ab illis per hos accipiunt." Cap. XXXVIII.

**) Anonymo, Belae Regis Notario, omnem fide dignitatem detrahere, ipsumque gesti notariatus munus abiudicare, adnisus est nouissime Vir Clarissimus Iosephus

Digitized by Google

Dobrowszky, insigni artis Criticae abusu; quae vetat Historicorum quempiam sua exui auctoritate, iis, quae in partem vtramque illius gratia sunt disceptata, haud cognitis examinatisque. Scriptor autem hic celeberrimus Vindiciarum Belae regis Notarii, quas Cl. Daniel Cornides, ac Stephanus Katona excitarunt, nec notitiam cepit, nec vsum. Anonymus noster, monstrantibus Diplomatibus, floruit sub Bela II. R. H. scripsit circa annum 1141.

II. Pererratis ab anno 884. Tanais fluuii, ac Susdaliae, in hodierna Russia Orientali, desertis, inter varias fortunae vices, in Atelkuzu *) delati, Arpadum, Almi Ducis filium, iure Principatus (αρχων) in posteros transmittendi, eminere inter se voluerunt; hocque, testimonio Constantini Purpurati, consilio Chagani Chazarorum, Crimaeam tum incolentium. „Postquam, inquit, pars occidentem versus progressa sedes posuisset cum Boebodo, ac duce Lebedia in locis Atelcusu nuncupatis, viros, cum Lebedia ad se accito, ad ipsos misit Principem genti praefecturus. Qui vbi cum iis sermonem communicassent, visum illis fuit Arpadum potius *principem* constituere, quam patrem Salmutzen (Almum) vtpote digniorem, et prudentia, consilio, ac fortitudine insignem, talique *principatui* parem; quem etiam solenni Chazarorum more, ac consuetudine in scuto erectum, *Principem* fecerunt. Et ante hunc Arpadum Turcae (Magyari) *Principem* alium nullum vnquam habuerunt; ex cuius etiam posteris ad hunc vsque diem Princeps Turciae constituitur.“ Cap. XXXVIII.

*) Atelkuzu, vbi Arpadus Princeps a Hungaris est creatus, in regione quadam interamnensi quaerendum po-

Digitized by Google

tius esse, quam in cliuis Caucasi Orientalis; vis verborum satis indicat: *Atel*, *Etel*, Orientalibus fluuium significante, *kuzu* vocabulo nostro *közi* correspondente. Constantinus ipse certe regionem illam fluuiis sub fine laudati capitis designat: „Locus, quem tunc inhabitabant Turcae (Magyari) a fluuiis, qui illic sunt, cognominatur. Flumina autem isthaec sunt: Primus fluuius Baruch appellatur, secundus Cubu, tertius Trullus, quartus Brutus, quintus denique Seretus nuncupatur.“ Inter hos Prutus et Seretus sua etiamnum nomina retinent; Trullus hodie Niester, a Turcis hodieque Turlu solet vocari. Hi autem Moldauiam, cum parte Valachiae, ac Bessarabiam satis aperte produnt. Hoc suadet etiam Crimaeae, Chazarorum regionis, vicinia; e sedibusque his Leoni Sapienti, Graecorum Imperanti, expeditam contra Bulgares Transistranos locare poterant operam; ab hisque, cum Paczinacitis iunctim, in proximam Morauiam magnam propelli; quod vtrumque docet Constantinus Purpuratus cap. XL. Dum locum illum hoc eodem capite Etel et Cuzu (non *Atel* et *Koisu*) nuncupat, satis se explicat, interamnensem indicare voluisse, dicens: Locus, quem primitus Turcae (Magyari) occupabant, a *fluuio interlabente* Etel et Cuzu (non fluuiis interlabentibus Etel et Cuzu) nuncupatur.

III. Post obitum Arpadi tenera Zultae, filii eius, aetas occasionem potestatis ciuilis apud nos euoluendae dedit: „Cum Dux Zulta esset tredecim annorum, inquit Anonymus Belae Regis Notarius, omnes Primates regni sui, communi consilio et pari voluntate, quosdam rectores regni, sub Duce praefecerunt, qui moderamine iuris consuetudinis dissidentium lites contentionesque sopirent. Alios autem constituerunt Ductores exercitus, cum qui-

Digitized by Google

bus diuersa regna vastarent.“ Cap. LIII. Huius meminisse videtur etiam Constantinus Porphyr. dicens: „Habent autem primum Ducem exercitus principem e prosapia Arpade, *) cum quo duo alii Gylas et Carchan, qui iudicum vicem obtinent. Et habet vna quaequae gens peculiarem Principem: suntque Gylas et Carchan non nomina propria, sed dignitates — Gylas tamen maior est quam Carchas.“ Cap. XL.

*) Cum his aegre conciliaueris ipsum Constantinum eodem capite dicentem: „Octo vero Turcarum gentes Principibus suis *subiectae non sunt*; sed singulae pro fluminibus, quibus distinguuntur, mutuo inter se contractu statuerunt, quamcunque partem bello infestari contigerit, ei communiter omni studio et cura suppetias ferre.“ Eo minus sibi constat his dictis Scriptor Purpuratus: cum Principem e prosapia Arpadi nominet *primum Ducem* (πρώτην τ' αρχοντα); Arpadum vero *magnum Turciae Principem* (ὁ Ἀρπαδῆς ὁ μεγας Τουρκιας αρχων) Quantum deficiat in Geographia, sat sit dicere: ipsi Sirmium ad *cursum fluminis Istri* — *iuxta Istrum*, seu Danubium situm fuisse. Omnia proin ad apicem verborum Constantini neutiquam sunt resecanda.

IV. Forma regiminis, res iudiciaria, statusque Hungariae ciuilis laetissima cepit sub Stephano, gentis nostrae Apostolo, incrementa: nam Regia auctus ipse dignitate, Magistratuum ac Ciuium Ordines discreuit; partes singulorum in republica designauit; libertates ac praerogatiuas congrue distribuit; perturbatores vero securitatis arctissime constrinxit. Haecque consilio Praelatorum ac Primatum regni perfecit; testante Hartwico, ipsius Bio-

Digitized by Google

grapho: „In statuto, inquit, a se cum Episcopis ac Primatibus *regni* Hungariae *decreto*, vnius cuiusque culpae contrarium dictauit antidotum; et vt pacis — se probaret filium, quod nullus alium hostiliter inuaderet, nemo vicinum sine iudicii examinatione laederet; viduas et orphanos nullus opprimeret, subscriptione foederis non pereuntis, posteris suis reliquit stabilitum.“ *) Vita S. Stephani edit. Pray p. 135. Duos tenemus Protoregis nostri decretorum libros; primus est paternorum monitorum et praeceptorum ad Ducem; alter decretalis meditationis, quemadmodum gens nostra honestam et inoffensam duceret vitam. In his Statibus et Ordinibus sequentes asseruit libertates ac praerogatiuas. *Statui Ecclesiastico:* „In regali dignitate tertium possident (post Fidem et Ecclesiam Catholicam) locum Pontifices. Charissime Fili! Seniores illos ita custodias sicut oculorum pupillas. — Sine illis non constituuntur Reges, nec principatus. — Si illos perfecte amas, te ipsum sine dubio sanas; tuumque regnum honorifice gubernas.“ Lib. I. cap. 3. „Vt Episcopi habeant potestatem res Ecclesiasticas prouidere, regere ac gubernare; atque dispensare secundum canonum auctoritatem. Volumus, vt laici eorum ministerio obediant ad regendas Ecclesias, viduas et orphanum defensandum; et vt obedientes sint eis ad eorum christianitatem seruandam. Consentientesque sint Comites, Iudices Praesulibus suis ad iustitias faciendas, iuxta praecepta legis diuinae. Et nulla tenus per aliquorum mendacia, vel falsum testimonium, neque per periurium, aut per praemium lex iusta in aliquo deprauetur.“ L. II. c. 2. *Ordinibus equestribus:* Quartus decor regiminis est fidelitas, fortitudo, agilitas, comitas, confidentia Principum, Baronum

Digitized by Google

Comitum, Militum, ac Nobilium. Illi enim sunt regni propugnatores, defensores imbecilium, expugnatores aduersariorum, augmentatores monarchiarum. Illi tibi, fili mi! sint patres, et fratres. Ex his vero neminem in seruitutem redigas, vel seruum nomines. Illi tibi militent, non seruiant. Eorum omnibus sine ira et superbia atque inuidia pacifice, humiliter dominare." L. 1. c. 4. „Decreuimus regali nostra potentia, vt vnusquisque habeat facultatem sua diuidendi, tribuendi vxori, filiis, filiabusue, atque parentibus, siue Ecclesiae: Nec post eius obitum quis hoc destruere audeat." L. II. c. 5. Consensimus petitioni totius Senatus: vt vnus quisque dominetur *propriorum;* similiter et donorum Regis, dum viuit; excepto, quod ad Episcopatum pertinet et comitatum. Ac post vitam eius filii simili dominio succedant. Nec pro vllius causa reatus detrimentum bonorum suorum patiatur quis." L. II. c. 35. *Aliis ciuium classibus*: „Quonium Deo dignum est et hominibus optimum, vnum quemque *in suae industriae libertate* vitae cursum ducere; secundum regale decretum statutum est: vt nemo Comitum, vel militum posthac aliquam liberam personam seruituti subdere audeat. L. II. c. 20. Si quis misericordia ductus proprios seruos et ancillas libertate donauerit cum testimonio; decreuimus, vt post obitum eius nemo inuidia tactus in seruitutem eos audeat inducere." Ibid. C. 17. *Regiae* autem *Maiestatis inuiolabilitatem* sequentibus muniit: „Volumus, vt sicut ceteris facultatem dedimus dominandi suarum rerum; ita etiam res, milites, serui, et quidquid ad regalem dignitatem pertinet, permanere debet immobile, et a nemine quid inde rapiatur, aut subtrahatur; nec quisquam in praedictis sibi fauorem a

Digitized by Google

quirere audeat. L. II. c. 5. „Si quis consiliatus mortem regis fuerit, aut traditionem regni fecerit, vel in aliam fugerit prouinciam; tunc vero bona illius in Regiam veniant potestatem, ipse vero subiaceat sententiae.“ Ibid. c. 35. „Si quis in regem, aut regnum conspirauerit, refugium nullum habeat ad Ecclesiam. Si quis contra Regis salutem, aut dignitatem quomodolibet aliquid conspirauerit, aut conspirare aliquid tentauerit, seu tentanti scienter consenserit; anathematizetur, et omnium fidelium communione priuetur. Vel si quis huiusmodi aliquem nouerit, probare valens non indicauerit; praedictae subiaceat damnationi.“ Ibid. c. 51. „Si quis versutus alicui Comitum vel alteri personae fideli dixerit: Audiui Regem ad perditionem tui loqui; et hic inuentus fuerit, pereat.“ Ibid. cap. 53.

---

*) Compilatorem decretorum, a Protorege editorum, non omnia illa conscripsisse, norunt Iuris periti; Chartam magnam libertatum, in gratiam Statuum et Ordinum priuilegiatorum, a duobus decretis distinctam, ab eodem editam, aureaque bulla subsignatam, a qua *libertas aurea* nomen et famam apud nos sit adepta, credit nemo; cuius vtpote in vetustis rerum nostrarum monumentis nec vola nec vestigium.

V. Cardinalium harum libertatum, iuriumque praesidio ita vsa est Gens Hungara, vt illarum consortio insignes hospites, Croatas ac Dalmatinos, Milites, Castrenses, ac praedialistas, vti vocamus, ornari, ornatosque bonis augeri, lubenter viderint; *) aeque tulerunt etiam animo earumdem Bysenos, Russos, Chunos, partim ad Regni limites custodiendos, partim ad militiam profitendam ad-

Digitized by Google

missos; item Flandrensium, Saxonum, ac Bohemorum Colonias fodinis colendis, ac desertis impopulandis deditas, participes effici; **) legem armis Regi seruiendi, exercituationem dictam, explicari sibi vltro rogarunt (Decretum I. Colom. Cap. 40); ast eas arctari aut conuelli neutiquam sustinuerunt. S. Ladislai Dec. L. 1. c. 30. §. 1. L. II. L. III. c. 15. Colomani Dec. L. I. c. 20. L. II. c. 6. et c. 11. Salüis eisdem, popularium nostrorum animi in excelsum erecti; ac Regnum sub S. Ladislao, Colomanno, Geysa II. Bela III. aquisitis prouinciis auctum, firmatumque; periclitantibus vero: ipsa virorum vtriusque Ordinis virtus defluxisse, ac Respublica, vti sub Petro-Veneto, ***) Salomone, Stephano II. et III. Emerico, in salutis expediendae discrimen propulsa videbatur.

---

*) Ex insignibus Hospitibus, libertatibus ac bonis Regni donatis, litteras Theodato, monasterii O. B. Tatae fundatori, a S. Stephano concessas, a Bela IV. anno 1263. transcriptas tenemus. Pactum subiectionis Croatarum et Dalmatinorum, sub libertatibus Hungaricis de anno 1096. Thomas A. Diaconus Salonitanus in appendice conseruauit. Schwandtner Script. rerum Hung. Tom. III. p. 634. E militibus, quantum e diplomatibus nouimus, primus fuit Farkasius, qui ob generosa bellica seruitia, libertatem seruientium regalium, bonaque in praemium tulit. A. 1162. E castrensibus Posonienses de genere Nyèk sunt primum eadem libertate donati A. 1165. E Praedialistis vero Vajkenses A. 1186. E Nobilibus Stephanus Korus, filius Comitis Bod, quod Stephanum II. R. H. ab vnquibus vrsi liberauerit, bonis primum auctus est A. 1130.

**) *Chunorum* in diplomate anni 1120 sub Stephano II. occurit mentio, quo Folckmanno districtum Deueche

Digitized by Google

confirmauit; item sub nomine *Paganorum*, in insula Csalóköz saepius memorantur Dipl. anni 1138. reambulatorio metarum terrae Sala Belae II. Ibidem commemoratur etiam villa *Russorum*. *Byssenorum* ex parte Austriae, ac Morauiae limitum regni custodum; libertates diminutas reformauit Iula Palatinus anno 1222. *Flandrenses* in Transiluania, ac Scepusio Geysa II. peculiaribus instruxit immunitatibus tenore Diplomatis 1191. *Teutonici*, in eadem Transiluania, incolatus priuilegia Anno 1191. et 1206. sunt consecuti. Bohemi vero anno 1126. circiter.

***) *Petrus* Venetus in publica rerum administratione viros ac mores exteros domesticis praetulit; mox Hungariam iure fiduciario Henrico III. Imp. obnoxiam esse voluit. (Ioan. de Guercse apud Kenchelich Not. Prael. Dalm. p. 101. Hermannus Contractus ad annum 1045) *Salomon* Viti, vnius e numero Palatinalium, subornatione facem dissidiorum accendit; quod regnum ab Henrico Imp. clientelari obsequio receperit, a Gregorio VII. PP. acriter reprehensus. Anno 1074. Inter *Stephanum* II. et Borichium, *Stephanum* III. et huius patrueles, *Emericum*, ac ipsius fratrem Andream, regnum misere discerptum motibus, ac bellis intestinis fatigatum fuit.

VI. Andrea II. regni, ambitione qnaesiti, habenas segniter moderante Respublica magis, quam ante periclitabatur. Dum enim ipse (confessione propria) bona Ecclesiae Budensi per iniuriam eripit (Dipl. A. 1212) ac Ecclesiam Strigoniensem marmoricidina in villa Tárdos ex ira priuat; (D. A. 1218.) peculium Constantiae, Emerici Regis viduae, surripit (D. A. 1220.) possessiones Castrensium tanta profusione dissipat, quod Honorium PP. III. donationibus superfluis per filium Belam

Digitized by Google

reuocandis securitati publicae consuli oportuerit (D. A. 1220.); diadema Orientalis imperii sibi, ius in Armeniam filio suo aucupatur (D.A. 1217. 1219); primas regni dignitates in fratrem coniugis suae Bertholdum congerit (D. A. 1206. — 9. — 14.); alii horrendo scelere in caedem Gertrudis Reginae ruunt (D. A. 1214.); *) in Bertholdum, Colocensem A. Episcopum, manus iniiciunt violentas (D. A. 1214.); monachos percutiunt (D. an. 1206.) Clericos in via depraedantur (D. an. 1205.) Saraceni Christianos in seruitutem redigunt (D. an. 1221.); Viri Ecclesiastici iusto acrius de decimis inter se tricantur (D. an. 1215.); Seculares bona castrorum regiorum eripiunt (D. an. 1221.); debiliores violente opprimunt (D. an. 1214.); Dynasta regni Benedictus de Korláth ipsi regiae obsistit maiestati (D. an. 1221.). En Summam malorum!

---

*) Diplomata anni quidem 1214. Simeonem Banum caedis reginae *complicem*; anni vero 1237. Petrum filium Gurwey, a quo Petro Varadinum nomen est sortitum, quine anno 1210. Bachiensis ac Curialis Comes fuit, *auctorem* scribunt; tetri illius criminis reus Banc vel Banco, de genere Bor, Comes Albensis, qui anno caedis 1214. Palatinus fuit, nullo diplomate condemnatur; quin potius gratiis regiis A. 1217. Banus Dalmatiae, ac Croatiae; anno 1222. Iudex Curiae, floruisse dicitur. Banc Bani A. 1262. bona in Fiscum redacta non ob caedem reginae, sed propter *infidelitatem* dicuntur; quae ardentibus inter Belam Patrem et Stephanum filium tempore hoc odiis; proceribusque regni propter ea in partes distractis, facilem habet explicacatum — nisi plures fuerint eiusdem Banc nominis.

Digitized by Google

VII. Malis his intestinis in libertate, tam Nobilibus regni, quam etiam aliis a Sancto rege Stephano instituta, regnantium, ac iniquorum consiliariorum culpa diminuta, reformanda quaerebatur remedium. Cessit supplicum precibus Andreas II., ac libertatem a S. Stephano Nobilibus, et aliis concessam restaurauit, atque alia ad Statum regni reformandum pertinentia salubriter ordinauit. „Et vt haec nostra, inquit, tam concessio, quam ordinatio sit nostris, nostrorumque Successorum temporibus in perpetuum valitura, eam conscribi fecimus in septem paria litterarum, et aureo sigillo nostro roborari. Ita, quod vnum par mittatur Domino Papae, et ipse in registo suo scribi faciat; secundum penesHospitale;*) tertium penes Templum; quartum apud Regem, quintum in Capitulo Strigoniensi, sextum in Colocensi, septimum apud Palatinum, qui pro tempore fuerit, reseruetur. Ita quod ipsam scripturam prae oculis habens nec ipse deuiet in aliquo a praedictis, nec Regem vel Nobiles, seu alios consentiat deuiare; et vt ipsi sua gaudeant libertate, ac propter hoc nobis et Successoribus semper existant fideles, et coronae Regiae obsequia debita non negentur. — Anno Verbi Incarnati 1222. Regni nostri anno 17.“

*) Hic per *Hospitale*, Hospitale Crucigerorum S. Nicolai de Alba; per *Templum*, Ecclesiam B. M. V. Albae-Regiae intelligi; nullum mihi est dubium: cum pactorum tabulas ac diplomata ibidem conseruari moris fuerit; Stephanus V. R. H. Ecclesiam Zagrabiensem in iuribus antiquis firmaturus, documenta Capitulum Alba-Regalense iussit submittere (Diplomate anni 1271.) Decretum istud in Comitiis editum fuisse, non obscure indicatur Praef. §. 2. et 3.

Digitized by Google

VIII. Istud Andreae II. decretum, vulgo Bulla aurea, sacrum Gentis Hungarae Palladium, fas sit dicere, effectum est. Laborante Republica in eius repetitione aut confirmatione quaesitum praesidium. Confirmauit Andreas II. anno 1231. regni sui anno 29. Bela IV. anno 1267. Andreas III. A. 1298. Ludouicus I. anno. 1351. Wladislaus I. an. 1440. in festo B. Eliae Prophetae *). Alii Reges idem repetitim transumserunt. **) In euentibus rerum Hungaricarum fecit epocham: „Propterea, inquit Verböczius Trip. P. II. Tit. 14. §. 12. cuncti Reges, vsque in praesens tempus ei succedentes sacro priusquam diademate coronarentur, super obseruando Decreto, ac constitutionibus eiusdem D. Andreae Regis, Praelatis ac Baronibus, et Magnatibus, Proceribusque, ac Nobilibus Regni huius iuramentum praestare consueuerunt. "

---

*) Loco Regibus impune resistendi licentiae, Bullae Andreae Art. 31. §. 2. expressae, in decreto eius confirmatorio ab eodem Andrea post annos nouem edito haec sanctio comparet: „Vt autem haec nostris et successorum nostrorum temporibus firma et inconcussa permaneant, tam nos, quam filii nostri praestito corporaliter iuramento, confirmauimus, et tam nostro, quam filiorum nostrorum sigillis fecimus roborari: Spontanee consentientes, vt siue nos, siue filii nostri, et successores nostri hanc a nobis concessam libertatem confringere voluerint, Archi-Episcopus Strigon. praemissa legitima admonitione, nos vinculo excommunicationis et eos innodandi habeat potestatem." Belae IV. confirmatorii similis est conclusio; „Et his omnibus, ac aliis libertatibus a S. Stephano Rege constitutis ipsos Nobiles manutenebimus et conseruabimus. Sic nos Deus adiuuet, et sancta Dei Euangelia, et

Digitized by Google

viuificum Dominicae Crucis signum. Si quis autem nostrum imposterum praesentis statuti et libertatis, a S. Stephano constitutae, transgressor extiterit, quod absit, illum D. Archi-Episcopus Strigoniensis per censuram Ecclesiasticam compellat ad praemissa inuiolabiliter obseruanda, prout id nos assumsimus pari voto. Vt autem haec nostra ordinatio perpetuum obtineat robur firmitatis, iisdem nostris sigillis litteras fecimus consignari." Andreas III. post decretum Andreae II. de anno 1222. nullam habet conclusionem sanctionalem; adiectas ordinationes suas ita concludit: „Et quia saluberrima statuta regio honori, et statui Regnicolarum magno remedio proficientia a praedictis Venerabilibus Patribus et ab Incolis totius Regni Hungariae de legali consensu Domini Regis et Baronum processerunt, prout in superioribus est expressum, vt concessa debitam reperiant firmitatem, Dominus Rex et Regni Barones sigilla sua ad instar sigilli Praelatorum huic chartae Statutorum apposuerunt." Deest illa etiam in Ludouici I. et Wladislai I. confirmatoriis; denique Leopoldi II. Decreto IV. anni 1687. articulo 4. est exclusa et remota.

**) Bullam hanc auream ad verbum transumserunt Ludouicus I. anno 1351. Maria I. anno 1384. Mathias Coruinus A. 1464. Horum originalia plura supersunt: in Archiuis secretiore domus Augustae; tum Regnicolari Hungariae; Regnorum item Croatiae, Dalmatiae et Sclauoniae; penes Familiam Radaianam et Görgeianam, etc.

IX. Vt magna haec Charta Hungarorum remissius, quam oportebat, curaretur, copiae illius authentice transumtae fecerunt. Tabulariis hostium barbarie huc et illic fugatis, partim Vulcani furore absumtis, septena illius exemplaria, diu

Digitized by Google

multumque quaesita, disparuerunt adeo, vt seu temporum calamitati, seu sacrae auri fami in praedam cessisse, videantur. Petulans Grossingerii diçacitas, sinceritatem Decreti Andreae II. Regis in quaestionem vocare ausi, animos nostratium vehementer ussit, ac Cl. viro Adamo Francisco de Kollár, Bibliothecae Augustae Vindobonen. Praefecto, nouas eiusdem in tabulario Pontificio Romae requirendi curas indidit. Spem voti RR. ac Ill. Comitis Garampii, Tabulario S. Angeli praefecti, penes aulam Caesareo-Regiam nuncii Apostolici, rebus nostris fauentissimi, necessitudo erexit. Operae, quam hoc in negotio locauit, sequentibus meminit idem Illustrissimus Kollárius: „Huius ego decreti (anni 1222) integri obtinendi cum incredibili studio tenerer, egi precibus cum Ill. Spergesio, vt hic Excellentissimum tum Comitem, nunc S. R. I. Principem, de Kaunitz meis verbis oraret, quo citius tanto proxeneta eiusdem decreti exemplar integrum Roma possem obtinere. Dedit vir summus precibus meis locum, ac quum semel, atque iterum frustra fuissent eius preces, tandem nec opinato, litteras Roma accepit a Cardinali Alexandro Albani die 29. Iunii an. 1762. quaesitum decretum Andreae II. ibidem amplius haud reperiri; sed aliud, eiusdem tamen argumenti an. 1231. et simile huic anni. 1222. in fauorem Cleri editum superesse. *) Dolui sane vehementer, exemplar primi decreti Andreae II. an. 1222. editi, quod fundamentale appellamus, in registro Pontificis non exstare, quum tamen ea causa Romam missum fuerit. Leniuerunt dolorem meum Romani transmisso alio, et ne de nomine quidem mihi noto, eiusdem Regis decreto Ecclesiastico an. 1222. edito." Curas domi forisque eiusdem requirendi an-

Digitized by Google

tiquitatum nostrarum studiosissimus, Vir immensae diligentiae, Martinus Georgius Kovachich resumsit; excellentia praemia pro iis, qui illud cum bulla aurea, ac aliis, qui idem sine hac essent detecturi, proponendo A. 1817. Ast actum agebat; quaesitis respondente nomine.

---

*) Litterae Em. Cardinalis Albani sic sonant:
Delle Stanze del Quirinale. 29. Guigno 1762.
L'essersi trovato nell' Archivio Vaticano il secundo de due decreti d' Andrea II. Re d' Vngheria de quali do mandaua copia il Sig. Kollar Bibliothecario Imperiale e stato effeto piu delle lunghe extraordinarie diligenze, pratticate da quei ministri incaricatine conpremura speciale dal Cardinale Segretario di stato, che degl indicii sommistrati dal medesimo Sig. Kollar. Impercio che il sudetto decreto stato trovato, non nel registro di Gregorio IX. come si diceva, ma in vna miscellanea esistente nell' armario XXXV. Tom. XVIII. p. 273, 33. Armarii lontano dal registro di Gregorio IX. Il Cardinale seruiente adunque rimette conpiacere a V. E. il sudetto documento e poichi nel farsi tali rizerche si e trovato altro decreto del medesimo Ré Andrea, dato nel 1222. a favore del Clero, mandola copia anche diquesto se mai potesse essere di qualche vso il Sig. Kollar pel suo intento. E per fine il medesimo Cardinale Scrivente bacia all E. V. in attestato del suo obsequio umilissima mente le mani."

X. Eius proin in *pari authentico Originali* detegendi spes ac desiderium superabat vnice: de more enim Regibus nostris fuit, litteris suis aurea bulla munitis, alias paris tenoris, cereo sigillo munitas, *simul* addere; et has solum, non item

Digitized by Google

illas, si lis moueretur, in iudicio exhibendi potestatem facere. Ita Geysa II. Diplomate, quo Martyrii A. Episcopi Strigoniensis donationem, Capitulo eidem factam, anno 1156. confirmat, ait: „per praesentis priuilegii paginam sanciri constitui, et regii impressione sigilli tam aurei, quam *cerei*, totius regni assensu stabiliri, feci.“ Bela IV. Diplomate anni 1244. Vrbi Pestiensi immunitates largitus ait: „Praesentem eis paginam duximus concedendam, charactere bullae nostrae aureae perenniter roboratam. Verum quia exhibitio priuilegii ipsorum existens sub bulla aurea, propter viarum discrimen, esse periculosa videbatur, transcriptum eius de verbo ad verbum sub munimine dupplicis sigilli nostri concessimus; eam praesentibus fidem adhiberi volentes, vt ad exhibitionem illius nullatenus compellantur.“ Stephanus vero V. Diploma, quo duas partes tributi fori Capitulo Strigoniensi tribuerat, ita finit: „Promittentes praesentem nostram donationem tam cum aurea bulla, quam *cereo* sigillo nostro autentico roborare, cum ab eodem Capitulo fuerimus requisiti.“ In tale *par originale authenticum*, Bullae aureae Andreae II. de anno 1222. ad vsus Archiepiscopi Strigoniensis concessum, cuius notitia hucdum caruimus, videor mihi incidisse. *)

*) Mei Strigonium excursus dupplex erat scopus: vt Andreae II. litteras, queis A. 1228. Geysae II. diploma donationes SS. Stephani ac Ladislai Regum Hungariae, Damoslai item Ducis donationes, ac Belae II. R. H. confirmationem transumit pro Abbatia Pécsuáradiensi, quasue originales in archiuo A. Capituli Strigoniensis seruari comperi, inspicerem; ac quaestioni num in iis „Astricus, Colocensis A. Episcopus et *primus* Abbas

Digitized by Google

monasterii de Castro Ferreo", vel potius: Astricus, Colocensis A. Episcopus, et *Paulus* Abbas monasterii de Castro Ferreo" legendum; ac sic dubio: num Astricus *primus* fuerit monasterii de Castro Ferreo Abbas? finem, aut modum ponerem. Alter fuit: vt Diplomata, quae Stirpis Arpadianae originalia in litterarum Primatialium Archiuo conduntur, ex benignissimo Celsissimi Domini Principis Primatis Alexandri de Rudna indultu in censum sumerem. Labore hoc occupato mihi, inter Diplomata publicum Regni statum concernentia, in manus venit inscriptio: *Anno* 1222. *Andreae Regis priuilegium diuersa punota continens criginale*"; singularitate hac sua, cum in Diplomatario meo haud occurrerit, meam illud videndi ac legendi auiditatem accendit. Humanitate Sp. Domini Stephani Rakovszky, iurium ac bonorum Primatialium Praefecti, cui publicas refero gratias, Archiuum cum A. R. D. Mathaeo Argauer, Vrbis Strigoniensis Parocho, illud subintrandi, illudque A. R. ac Cl. Iosepho Kemp Archiuario praesentante, legendi facultas mihi obtigit. Lecto initio fineque eius, extemplo aduerti Diploma constitutionale esse Andreae II. quod in Protocollum quantum ad contextum nequaquam illatum, inuestigantium fors oculos fugerit; ideo nec a Cl. viro Martino Kovachich, qui eius copias in Vestigiis Comitiorum et illorum supplementis diligenter collegit, sed nec ab ullo alio, hucdum ibi seruari, fuerat proditum. Eius copia mihi facta, cum Diplomatibus Andreae II. Clero A. 1222. concesso, altero item de A. 1231. Statibus et Ordinibus Regni dato, diligenter domi collata, anecdotum esse recognoui.

XI. Membrana, litterae, abreuiationes, aliaeque notae criticae, plene conueniunt cum eiusdem Andreae II. litteris Originalibus; quales sunt eius-

Digitized by Google

dem de anno 1233. iuramentum in silua Beregh praestitum continentes, ac sub bulla aurea editae; de anno 1234. quibus foenum de insula Sz. Maria Szigete asportantes mulctauit; de anno 1206. quibus Canonicis Strigoniensibus 100. marcas argenti ex aerario Regio donauit; de anno 1215, quibus Iobbagiones quosdam a iurisdictione castrensi — in villa Karcha — exemit; de anno 1218. quibus vineas Pograny, in Comitatu Nitriensi, Archi-Episcopatui donauit. — Est tribus sigillis cereis, pendentibus, munitum; quartum in medio decidit, aut domtum est. Hoc, e loco, in quo pependit, videtur mihi fuisse regale, ac illud ipsum, quod auulsum, formae dimidii libonis, raritatis instar, in archiuo exhibetur; estque ipsissimum Andreae II.*) cum signis lunae ac solis, cuius iconem laesam vir Cl. Prayus Syntagmatis Historici Tab III. Fig. II. exhibuit; alterum maius itidem in medio est sigillum Archi-Episcopale, vti figura S. Adalberti, ac epigraphe docet. Tertium et quartum, minoris moduli, vetustate obfuscata, et detrita, discernere nequiui. Dauus sum, non Oedipus. — Textus illius cum decreto in Corpus Iuris nostri inserto, exceptis quibusdam exigui momenti variationibus, ac mendis typotheticis, quae in istud irrepserunt, plene concordat.

---

*) Andream II. sigillo quoque simplici usum fuisse, praeter illud, quod laudauimus, haec etiam diplomatis ipsius conclusio de A. 1217. docet: „Vt haec a nobis facta donatio salua semper et inconcussa permaneat, praesentem concessimus paginam *vniformis* sigilli nostri munimine roboratam.“

Digitized by Google

XII. Sincéritati decreti huius, tot notis adstipulantibus, id videbitur fidem detrahere, quod pluribus sigillis sit munitum. Ast nostra de Sigillis doctrina ita nequaquam est absoluta, vt contrarium euincat manifeste; nouis illa in dies proficit documentis. Ita multis, viro etiam in Diplomatibus nostris versatissimo, Prayo visum fuit, Reges nostros sigillo dupplici pendente, *plumbeo*, vsos nequaquam fuisse (Syntagm. p. 25.) cum tamen Geysae II. sigillum *plumbeum* de anno 1157. quo A. Capitulo Strigon. donationem contulit, in huius archiuo ipsemet viderim: in parte aduersa: cum imagine Regis in throno sedentis, in auersa: in medio cum inscriptione: *Sigillum Geyse Regis.* Notitia nostra de Sigillis, quibus bullae Andreae II. exemplaria, ac paria munita fuerunt, euidens non est. Acta publica, constitutionalia, moris fuisse pluribus etiam Regni Primatum sigillis roborare, Diplomaticis in comperto est. *) Decretum hoc bullae aureae par *transumtum*, quale Capituli Chasmensis de anno 1441. certe non est. Nullum occurrit vnquam *formae huius transumtum.* Toto, vt dicunt, coelo differt illud, quo Iacobus Praenestinus S. A. L. et *Episcopi Hungariae* constitutionem Andreae II. de anno 1231. *transcripserunt.* Nec obstat vsum eius in publicis factum haud constare: hoc enim aut anxia nimis illud celandi oeconomia, aut etiam existentiae illius ignoratione, potuit accidere. Etiamsi ergo nequeamus de Bulla aurea Andreae Anni 1222. conseruata gloriari, gratulari tamen iure possumus de illius *pari authentico Originali* in Archiuo Primatiali existente. **)

---

*) Andreas II. diploma constitutionale anni 1231. pluribus sigillis fecit roborari; item Bela illius confirmato-

Digitized by Google

rium A. 1267. Andreas III. itidem A. 1298. „Dominus Rex, ac Regni Barones sigilla sua ad instar sigilli *Praelatorum* huic chartae Statutorum apposuerunt."

**) Cum detectionis nouitate studia et animi maxime soleant irritari; modesta hac sententia multis Nostratium me haud satisfacere, certus sum. Cum his ego contendere nolim; qui non duco a me alienum, in rebus haud exploratis, posse falli.

Digitized by Google

Digitized by Google